

LIBER. XIV.

DE PRONVNCIA-
TIONE LINGVÆ HISPA-
NICÆ CVM EXPLICATIÖNE LATINA
 opera & Studio Ioannis Angelis de Sumaran, Anno
 1626,

Ac primum de literis earumque pronunciatione.

Hispanica lingua, est omnium linguarum exoticarum perfectissima, ac pulcherrima grauitate decorata ornataque quæ magnam habet affinitatem cum Italica, & Latina. Nulla habet elisiones vocabulorum siue literarum, ut reliquæ; sed omnia clare aperte, sonoraque voce pronuntiari debent uti, ex sequentibus exemplis patebit.

De literis Hispanorum.

A. b. c. ç. d. e. f. g. h. ch. j. i. y. ll. l. m. n. ñ. o. p. q. r. f. t. u. v. x. z.

Differentia pronunciationis ac difficultas in hisce vndecim literis consistit.

B. ç. g. ch. j. ll. ñ. u vocalis, & *v. consonante. x. & z.*

Vocales habent quoque sex. *a. e. i. o. u. y.*

Reliquæ Consonantes vocantur.

- B.* Hispani vitiosè & ineptè scribunt *B.* pro *v.* & *v.* pro *B.* loco *Sabio*, *sauio*, & loco *sabana*, *sauana*, sed hoc inter ignorantibus plerunque fit, ideo prudens lector diligenter, caueat ne in hoc vitio cadat.
- ç.* Hæc litera vocatur ab Hispanis *ç* concedilla, id est *ç* caudatum, & semper ut s. debet pronuntiari, ut apud Gallos.